

Senatum Populumque , non aliter , ac ut Servos habuerit , Romanamque ipsam , *Lampridio* teste , nil nisi *Coloniam commodianam* appellaverit.

XIII.

*PUBL.* Disco egregiis his e Speciminibus , & exemplis , quæ attulisti , Sacrificiorum titulos pariter , ac typos maxime varios præstantioribus in Numis comparere , præterea vero complures Ritus , quos mihi supra exposueras , in eisdem præfenti quasi oculo posse hauriri. Id , quod Scriptoribus veteribus , eisdem tradentibus , plurimam fidem conciliat , insigni documento , quantum Numi ad Historiam valeant. *TULL.* Hoc est , quod Viros doctos , deinde & opulentiores , cum primis vero Principes , tandem impulit ad Numorum veterum thesauros , novis quodammodo thesauris , munificentissime expensis , ex omni terrarum parte conquirendos. Ita factum est , ut Imperii Romani veteris facies magna jam parte nobis cognita evaserit , quamquam res ejus parte maxima etiamnum nos lateant.

## DIALOGUS XIII.

De Lectisterniis , Thenfis , & Carpentis.

*PUBLIUS.*

I.  
TAB II.  
N. XVI.  
& XVII.

**N**umi XVI. ac XVII.<sup>mus</sup> , nulla uterque epigraphe Lectisternia tamen Dearum , ex iis , quæ supra dixeras , dum de septemviris Epulonum differeres , facile mihi videntur. Ubique Dea in lecto residet : quamvis ibidem docueris me , Sellisternia Deabus apparatus fuisse. In primo quidem Areo medio *Neronis* , ac meo , Dea salus confidet patera serpentem suum cibans. Jucundo id festo aliquo factum esse , puerulus indicare videtur , qui retro Lectum cum Ramo pi-

pineo saltat. Hæ namque frondes in Numis, quibus *Hilaritas publica* depingitur, comparent. Altero in Lecto Fortunam decumbere, gubernaculum prodit navale, quod veluti regit.

TULL. Prior tuus Numus, æque pictus ab *Aenea Vico* Ære *Neronis* 19no. semelque ac iterum laudatus ab *Argelato*, nullibi tamen puerum cum pinu adjunctum habere refertur. Alter Æreus medius *M. Aurelii* exstat apud Cl. *Patinum* p. 197. Aegyptius, & nullius urbis nomine descriptus. Qui & alium *Caracalla* prodidit p. 230. ubi Serapis, capite modium gestans, dextra Aquilam, & hastam læva sustinens, lecto insidet, cum Nominibus: C. *olonia J. ulia AV. gusta SINOP. e AL - - -*. Cl. P. *Erwlichius* in Appendic. ad Num. Urb. græce loquentium n. 181. produxit Numum Aegyptium ignotæ Urbis, *Juliae Paulæ* cusum, cum Ifide, in lecto residente, addita sola epocha græca L. F. i. e. Anno tertio.

Comprobatur his Numis, quod *Samael Pitiscus* admonuit, nimirum: *Lectisternia* quidem Diis, & *Sellisternia* Deabus facta, tradi a Scriptoribus: ita tamen hoc accipiendum esse, quod Lecti utrisque sternerentur, cum solo situs discrimine. Dii nempe recollocabantur velut *recumbentes*, Dææ velut *sedentes*. Addit porro, parata fuisse Diis hujusmodi strata, sive Lætitia causa in statis Ludis, rebusque prosperis, sive in calamitatibus averruncandæ iræ causa. Dum tranquillæ res essent, hos Lectos publica supplicatione circumlatos fuisse, coronatis omnibus comitibus, frondesque varias, quas tempus dederat, manu præferentibus: quales & ante fores templorum statuebant, perque eorum pavimenta sparserunt.

PUBL. Belle mihi jam expositus est Numus meus, tam circa situm Dææ residentis, quam circa pueruli gestulationem, ac pineum ranium. TULL. Religio hæc, in quam *Arnobius*, magister *Lactantii*, factus Christianus, ita lusit: „ Habent enim „ dii lectos, ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum „ tollitur, atque excitatur impressio: „ cœpisse scribitur a *Livio* Anno Urb. Cond. CCCLVI. in hunc modum. „ Tristem hęc „ mem gravis, pestilensque omnibus animalibus æstas excepit: „ cujus insanabili pernicio quando nec causa, nec finis invenie- „ batur, Libri Sybillini ex S. C. to aditi sunt. Duumviri Sacris fa-

II.

III.

Lexic.  
Antiqit.  
voce: *Lectisternium*.

IV.

„ ciundis, *Leetifernio tunc primum in Urbe facto*, Apollinem, La-  
 „ tonamque, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Ne-  
 „ ptunum, tribus, quam amplissime tum apparari poterant, stra-  
 „ tis Lectis placavere. Privatim quoque id Sacrorum celebratum  
 „ est: tota Urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum om-  
 „ nium in propatulo posito, notos, ignotosque passim advenas  
 „ in hospitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque beni-  
 „ gne, ac comiter sermones habitos: jurgiis ac litibus tempe-  
 „ ratum: vinctis quoque demta in eos dies vincula: religioni  
 „ deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, rursus vinci-  
 „ ti. „

V.

PUBL. Placet hic maxime, etiam idololatrias, dum sa-  
 nae rationi aliquando locum darent, ita demum sapuisse, ut in-  
 telligerent, Numina non solis honoribus in eos impensis, verum  
 etiam operibus piis, atque Charitatis, & misericordiae officiis pla-  
 cari. Qui porro supersunt in hac secunda Tabula tua Numi  
 duo, decimus octavus, nonusque, te rursus interpretem po-  
 scunt. TULL. Carpentaria, vel Thensas hic vides, nova Reli-  
 gionis Romanae erga Deos officia, nec sine pompa, nec absque  
 superstitione instructa.

VI.

*Carpentum* quidem, si late sumatur, nihil gloriosum, vel  
 divinum habet, cum omnis generis currus, etiam vilissimos, de-  
 signet. Postquam vero ad pompam transferri, & ornari, atque  
 communibus a curribus apparatu magnifico distingui coepit, Au-  
 gustum, Sacrumque evasit, Circenses ad Ludos traditum, ut  
 eodem Augustae, dum viverent, aut quando a morte consecra-  
 tae fuerant, Imagines earundem vanissima cum pompa per Ur-  
 bem circumveherentur. *Thensa* peculiare Carpentorum genus  
 censentur, ab antiquo Diis, in supplicatione publice circum-  
 ducendis, magna cum devotione instructae.

VII.

Pegma itaque sublime cogites, subinde undique apertum,  
 alias trabeis, i. e. fulcris, illo de Ligno factis, quod inibi resi-  
 denti Deo, vel Deae, sacrum, gratumque credebatur, subni-  
 xum: quamvis deinde hujusmodi columnae etiam ebore, auro,  
 argentoque convestirentur. Praejungebantur Equi, aut Muli:  
 quandoque tamen in lapidibus, ac Numis, Tigrides, Leones,  
 Elephanti, hoc officium praestitisse conspiciuntur. Quoniam ve-  
 ro,

ro, ut *Plutarchus* habet, si Equus unus eorum, qui *Thensas* traxere, elanguisset, aut si lava manu auriga prehensisset habenas, Pompam de novo decernebant instituendam. Idcirco, ad præcavendum hoc omen sinistrum, sumtusque novos prævertendos, trahebantur hæ *Thensæ* deinceps ab hominibus, iisque primi, summique generis, ornatu maximo vestium cultis, Viris, ac Pueris, patrimis tamen & matrimis, scilicet, utrumque adhuc parentem habentibus: ut *Pitiscus* amplius edocet. Numi autem sola animalia reddibent.

In Coriolano.

In Lex Ant. vocibus *Carpentum*, ac *Thensæ*.

VIII.  
TAB II:  
N. XVIII,

*PUBL.* Jam expeditiorem reddidisti me ad hos Numos recensendos. Prior eorum *Carpentum* habet, Mulis duabus tractum, cum *Ædicula*, extra portam rotundam circum clausa, cum epigraphe: DIVAE JULIAE DIVI TITI F. *iliae* Infra legitur: S. enat P. op. Q. ue R. omanus. *TULL.* Pinxit hunc Numum *Aeneas Vicus* *Ære Domitiani* 55. cujus caput ac tituli sunt in *Adversa*. Laudatus est pariter ab *Argelato*. Dicitur porro imperator is ipse est, qui huic consobrinæ suæ a morte, ob dilectionem suam, sed nefandam & incestam, divinos honores decerni a senatu præcepit.

*PUBL.* Numus alter *Thensis*, ut puto, adornatur, trabeatis, atque inter columnas apertis, quibus Equi duo præjuncti. Epigraphen græcam ex te audiam. *TULL.* Ita habet: ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΡΙΣΝΕΩΚΟΡΩΝ: i. e. *Ephesiorum ter Aedituorum*: scilicet cultorum Numinis, qui Religionem suam jam tertium instauraverint sui consecratione, aut novi Dei receptione. Numus hic, *Galliæni* honoribus cufus, exstat apud *Cl. Patinum* p. 324. qui etiam putat, *Dianam Ephesiam* his *Thensis* deferri, licet nihil ejusdem hic videatur.

IX.  
N. XIX.

Ducebantur *Thensæ* peculiari quopiam ex loco solemnium cum processione ad illius Dei, cujus in honorem factæ sunt, Aedes ac Templum; testaturque *Suetonius* de *Augusto* in hunc modum. „ Accidit Votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, *Thensas* deduceret. „ Tanta scilicet erat Solemnium horum religio, ut famulam hanc Diis operam præstare ne quidem *Augustæ* manus refugerent. *PUBL.* Aequum est sane, homines omnes Deo quam humillime obsequi; miserum autem, in

X.  
Cap. 34.

veri Dei cognitione tam stolide falli. Miserrimum tamen, recte quidem de Deo sapere, acquiescere interim in solo cultu externo, legi autem ejusdem non obtemperare.

## DIALOGUS XIV.

Generalia de Aris, ac Templis, deque primis peculiariter.

TULLIUS.

I.

**A**Ntequam Aras, ac Tempa, in Numis intuearis, monendus es mihi de plurium Vocum, quæ vulgo nunc promiscue adhibentur, propria olim apud Græcos, Romanosque notione: licet nonnulli antiquiorum pariter Scriptorum cum primis Poëtæ, in usu earum liberi satis exstiterint. Sic *Ara Altare*, *Focus*, plurimis quasi synonyma sunt, a veteribus tamen cum distinctione prolata. *Ara* namque, ab *area* deductum, sive terra, formæ humilis fuit, parumque elatæ, Diisque terrestribus fiebat. *Altare* ab *altitudine* dictum, erat molis celsioris, ponebaturque Diis cœlestibus. Utrumque interim hoc genus in Templis visebatur. *Focus* in domibus duntaxat ad Lares, Penatesque colendos, citra ornatum, sic duntaxat, ut ignem caperet, constructus fuit. Hinc illud, *pro Aris, & Focus*, i. e. Templis, ac domibus, pugnare.

II.

Similiter *Fanum*, *Sacellum*, *Aedes*, *Penetralia*, *Templum*, *Delubrum*, oppido differebant. *Fanum* quippe, ruri cum primis, nihil erat, nisi *Area* publica, sive certus agri *Locus*, ad *Sacra* ibidem agenda destinatus, & inauguratus: a quo *Sacerdotes* ejus *Fanatici* appellabantur. *Sacellum* fuit parvum spatium cum *ara*, sine tecto, certo tamen Deo sacrum: ubi & adolebatur, & male-

fa-